image
not
available

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA
RB 236

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RB 236

Digitized by Google

Digitized by Google

A

PAVLI MANVTII
IN CICERONIS
ORATIONEM
PRO ARCHIA POETA
COMMENTARIVS,

Ad Illuſtriſsimum, & Excellentiſsimum,
Præfectum Arcis Sancti Angeli,
Iacobum Boncompagnum.



ROMAE,
Apud Ioſephum de Angelis,
M·D·LXXII·

Digitized by Google

RB 236

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO IVVENI, IACOBO BONCOMPAGNO.

CVM mihi tuæ primum virtutis, ac dignitatis, deinde eius, qua me es complexus, beneuolentiæ in mentem venit: (venit autem ſæpiſſime) tibi quidem animo ac mente pro meo erga te ſingulari ſtudio vehementer gratulor: ego autem, vt eius felicitatis, quæ in hominem cadere poſſit, haud minimam partem aſſecutus, lætitia fruor tanta, quantam animus meus capere maximã poteſt. rurſus cum recordor, omnibus ad te quotidie honoris cauſſa confluentibus, quorum ego in te colendo atque obſeruando nemini concedo, me vnum tribus fere menſibus ad te non veniſſe: quamquam intermiſſi cauſſas officii, vt opinor, habeo ſatis iuſtas, vel calores perpetuos, quibus maiores non meminimus, vel ætatem, imbecillitatemq. meam; quarum altera quietem poſtulat; altera non modo poſtulat, verum etiam flagitat; peccaſſe tamen mihi videor; & quaſi excuſationem accuſatio vincat, ita ſenſibus angor intimis, & in grauiſſimo dolore verſor. Atque hæc quidem aliquanto etiam acerbior cogitatio eſſet, niſi perſpecta mihi & cognita naturæ tuæ facilitas, & ſingularis humani-

tas certam plane ſpem afferret, nihil mihi obeſſe apud te, nihil detrahere prorſus aut de amore tuo, aut de iudicio abſentiam meam. quod quidem abs te, artium optimarũ a pueritia ſtudioſiſſimo, eo facilius debeo impetrare, quia non ego, vt alii, feriatus æſtu maximo ſum, non me languori, non inertiæ, aut deſidiæ tradidi, nec rurſus quibuſdam voluptatibus, quæ cum ab ætate mea, tum etiam a voluntate abhorrent, operam dedi, ſed ad explanandas Ciceronis orationes ex inſtituto meo totus incubui. quid autem his tribus menſibus, quibus vacationem ſibi quandam a negotiis plerique ſumunt, ego in hoc negotii genere, omnium, vt arbitror, nobiliſſimo, præſtiterim, cum cuperem te intelligere, vt quaſi rationem otii mei redderem, feci vt ad te mitterem non quas a quo die ad te veni orationes explicaui; ne moleſta fortaſſe in magnis occupationibus, aut parum iucunda tibi copia eſſet; (decem enim illæ omnino ſunt) ſed vnam tantum, eamq. ſatis breuem, pro Archia poeta, ſane luculentam, & ornatam: in qua ſtudia illa, quæ ab humanitate nomen acceperunt, quibus vterque noſtrũ mirifice delectatur, in cælum laudibus extolluntur. Equidem ſpero fore, vt, quemadmodum ego, cum interpretabar, voluptate me perfundi maxima ſentiebam; ſic tu, cum & ipſam orationem, & meam ſimul interpretationem leges, (ſimul enim vtramque mitto) non minorem animo voluptatem capias. quod ſi ita erit: vberrimum tuliſſe me fructum induſtriæ meæ putabo: &, quod operis ſupereſt, ad id eo fiam alacrior, quo tibi magis, multas virtutes cum litterarum gloria coniungenti, quam ceteris, hæc ſtudia colentibus, placere & probari mea ſcripta velim. Opto vt valeas, meq. vt facis, perpetuo diligas. Ex ædibus, pridie Kal. Oct. M. D. LXXII.

Laudis, & amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimus,
Paulus Manutius.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO ARCHIA POETA, PAVLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM ORATIONIS.

VRBEM Romam eximia primorum regum, primorumq. conſulum virtus, quam poſteritas imitata eſt, ab humili principio ad ſummã amplitudinem, gloriamq. perduxit. Ac mihi quidem in eas cauſſas, vnde opes tantæ manarunt, intuenti, cum aliæ nequaquam leues occurrunt, tum illa non ſane minimi videtur eſſe ponderis, quod gentibus bello victis non modo locus in ciuitate, verum etiam paria cum ceteris ciuibus iura concedebantur. tranſiit ea benignitas in ſingulos ciues: & primum ii, qui ſtrenuam in proeliis operam nauaſſent, mox etiam, ſi qui, doctrina præſtantes, ad ornandas populi Romani res geſtas ingenium contuliſſent, ciuitatis iura conſequebantur. atque alii quidem aliis temporibus, Archias autem, Antiochiæ natus, Ciceronis ætate hunc honorem ſingulari principum ciuium ſtudio eſt adeptus. qui cum poetica laude floreret, vbique iam in Italia clarus, ab omnibus fere populis expetitus, primum a Tarentinis, Rheginis, Locrenſibus, Neapolitanis, deinde ab Heraclienſibus ciuitate donatus, poſtremo in ciuium etiam Romanorũ numerum adſcitus eſt. verum, vt multi ſæpe reperiuntur non modo artium optimarum expertes, verum etiam inimici, extitit quidam Gracchus, qui, quod Archiæ beneficium virtus pepererat, in dubium reuocaret, eiq. litem de ciuitate, ex lege, quam Siluanus & Carbo tribuni pl. tulerant, intenderet. Reſpondit ei Cicero: cauſſam probauit: merita hominis extulit: dignum oſtendit, non modo qui ciuitatem non amitteret, quam iure

optimo

optimo teneret, verum etiam, qui, niſi eam haberet, conſequeretur. Eſt autem hæc omnis in quattuor diſtributa partes oratio. Primum ab officio ſuo, quo adductus Archiæ defenſionem ſuſceperit, Cicero exorditur. Deinde, quorum ille ciuium amicitia, & familiaritate floruerit, & quibus tamquam gradibus ad Romanæ ciuitatis honorem adſcenderit, magna cum eius laude narrat. Tum, accuſatori reſpondens, Archiam neganti ciuem Romanum eſſe, argumenta, quibus ille vtebatur, diluit, ac refellit. Quarto loco, quã doctrina præſtet Archias, eam laudat a tribus rebus, a fructu, quod adoleſcentiam alat, ſenectutem oblectet; ſecundas res ornet, aduerſis perfugium, ac ſolatium præbeat; delectet domi, non impediat foris: a dignitate, quia ceterarum rerum ſtudia præceptis, arte, doctrina conſtent; poeta vero ſuas vires, & ſuam præſtantiam ab ipſa natura ſumat, & quaſi ope quadam ac munere deorum immortalium excellat: a publica laude, quia, non eorum modo, quorum res geſtas poetæ verſibus perſequuntur, ſed populi quoque Romani nomen illuſtretur. Poſtremo, vbi iudices & docuit ſatis, & delectauit, & mouit; docuit, donatione ciuitatis probata; delectauit, digreſſus a cauſſa in laudes poeticæ facultatis; mouit, argumentis, & exemplorum copia: commendat iis Archiæ ſalutem: & ſimul quaſi veniam petit, quod & de hominis ingenio, & communiter de ſtudiis humanitatis, ac litterarum liberius aliquanto ſit locutus, quam fori & iudiciorum cõſuetudo ferre videatur. Habitam orationem puto D. Iunio Silano, L. Licinio Murena cos. cum dicat Cicero, Archiam proximis cenſoribus cũ L. Lucullo apud exercitum fuiſſe: proximos autem ſine dubio ſignificet Cn. Lentulum Clodianum, & L. Gellium. nam a L. Cotta & P. Seruilio, qui Cæſare & Figulo cos. cenſuram geſſere, cenſum non eſſe actum, & Dio narrat, & hic Cicero ipſe teſtis eſt. habitam autem poſt Ciceronem conſulem, declarant ea, quæ de periculis reip. ideſt de coniuratione Catilinæ dicuntur. quod ſi & poſt Ciceronem conſulem, & ante cenſores, qui poſt eum fuere, habita eſt: neceſſario, vt mihi videtur, in Silani & Murenæ conſulatum incidit.

ORATIO

ORATIO.

SI QVID eſt in me ingenij, iudices, quod ſentio quam ſit exiguum; aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter eſſe uerſatum; aut ſi huiuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudijs, & diſciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium uel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope ſuo iure debet. nam quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam; inde uſque repetens, hunc uideo mihi principem & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum extitiſſe. quod ſi hæc uox, huius hortatu, præceptisq. conformata, nonnullis aliquando ſaluti fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari, & alios ſeruare poſſemus, huic profecto ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & opem, & ſalutem ferre debemus. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quædam in hoc facultas ſit ingenij, neque hæc dicendi ratio, aut diſciplina: nec nos quidem huic cuncti ſtudio penitus umquam dediti fuimus. etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune uinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.

EXPLANATIO.

NON faciam, vt perſequar illa communia de partibus orationis: quæ iam vel pueri norunt: aut, ſi qui ſunt ita rudes, ut ignorēt, iis hæc non ſcribimus. propoſitum enim nobis ab initio fuit, ut robuſtioribus noſtra potiſsimum ſeruiret induſtria. quid porro negotii eſt, prooemium a narratione, aut narrationē a reliquis partibus diſtinguere? cur duobus generibus, iudiciali, & demonſtratiuo, miſtam eſſe orationem doceā? iudiciali, quia de ciuitate Archias cauſſam dicit: demonſtratiuo, quia ſtudia laudantur humanitatis. Eiuſmodi ſunt alia, minimi ſane pretii: quæ veteres interpretes, vt inania, neglexerunt, recentiores, vtilia putantes, accurate perquirunt: nos, more ueterum, hæc humilia faſtidimus: in ceteris iucundus labor eſt.

SI QVID eſt in me ingenii, iudices, quod ſentio quam ſit exiguum;] grata iudicibus defenſio eſt, quæ ab officio naſcitur, patrono, quantum reo debeat, & quibus rebus debeat, oſtendente. Tria Cicero proponit, ingenium, exercitationem dicendi, rationem, ideſt

natu-

naturam, uoluntatem, diſciplinam: quæ ad acquirendam eloquentiæ laudem æque omnia requiruntur. quid enim natura valet, niſi accedat exercitatio? quid exercitatio, niſi eam ratio moderetur, ac regat? in his omnibus ſi quid profecerit, id Archiæ in primis acceptum a ſe referri debere, Cicero fatetur. Vitat autem ſuſpicionem arrogantiæ, cum ſubiungit: Quod ſentio quam ſit exiguum: et cum exercitationem fuiſſe mediocrem fatetur: & cum in ratione non ſe dicit ſemper eſſe verſatum, ſed ab ea nullum ætatis ſuæ tempus abhorruiſſe. illud affirmantis erat, hoc non negantis: in quo maior modeſtiæ laus. Illa quoque non eſt inutilis animaduerſio, cum dubitatio antecedit, ſubiici definitionem. dubitatur in eo, Si quid in me ingenii, iudices: definitur, Quod ſentio quam ſit exiguum. Eiuſdem generis duo ſunt inferiora membra. eſt enim dubitatio, Si qua exercitatio dicendi: definitio, In qua me non infitior mediocriter eſſe verſatum. Tertia dubitatio eſt, Aut ſi huiuſce rei ratio aliqua. eam excipit definitio, A qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe. Vtramque colligit concluſio, Earum rerum omnium. Quæ ſimul agnoſcuntur in epiſtola ad Lentulum. præmiſſa enim dubitatione, Regis cauſſa, ſi qui ſunt, qui velint: ſequitur definitio, Qui pauci ſunt: & poſt definitionem cõcluſio, Omnes rem ad Pompeium deferri volunt. Vno contenti ſimus exemplo: ne copia ſatietatem pariat. ſatis enim opinamur, ſi quid huius generis occurrat, vnde augeri ſententia, elocutio poſsit illuſtrari, notare paucis verbis, et, vt ait hic noſter, quaſi digitũm ad fontẽ intendere. EARVM rerum omnium] ingenii, exercitationis, rationis. VEL in primis] non ille quidem ſolus, (ne vni Archiæ operam dediſſe videatur) cum & oratores audierit, & a philoſophis multa didicerit, ſed in primis, quia iam inde a pueritia illo auctore & principe complexus ea ſtudia ſit, quorum ope multorum ſalutem, vel, vt ipſe modeſte ait, nonnullorum, defenderit, atque ſeruarit. HIC A. Licinius] Lucullorum præcipue beneficio ciuitatem adeptus Archias, nomen Liciniæ gentis de more ſumpſit, uetere ſeruato cognomine. Auli autem prænomen a quo Lucullo ceperit, haud ſatis conſtat. nam quos Lucullos eius amicos ac familiares Cicero dicit fuiſſe, non dubito quin Lucius, & Marcus, fratres, deſignentur. Aulum uero Lucullum non modo neminem, cuius conſuetudine ſit vſus Archias, ſed neminem prorſus, qui quidem his temporibus uixerit, inuenimus. niſi ſi Marcus, Lucii frater, quem a Terentio Varrone adoptatum faſti Capitolini demonſtrant, Aulus fuit ante adoptionem, Marcus autem eſſe cœpit adoptatus: quod ſi uerum eſt, potuit

fuit Archias ab eo, nondum adoptato, prænomen accipere. FRVCTVM a me repetere] ut optime de me merito gratiã referã. poteſt enim repetere, quæ dedit, iure quodam ſuo. dedit autem, quidquid ingenio, exercitatione, ratione mihi uideor præſtare poſſe. ET PVERITIAE memoriam recordari ultimam,] non, ultimam, ideſt ultimos pueritiæ annos, ſed quæ longiſsime a uirili diſtaret ætate, quæq. cadere in memoriam poſſet: quæ uel media, uel etiam prima, ſi modo in memoriam caderet, potuit eſſe pueritiæ pars. HORVM ſtudiorum.] quæ infra uocat ſtudia humanitatis. QVOD alia quædam in hoc facultas ſit ingenii,] differt enim poeta ab oratore. HVIC cuncti ſtudio] Cuncti: toti: ut ſit, toti penitus dediti. Studio autem, eloquentiæ. OMNES artes, quæ ad humanitatem pertinent,] ars oratoria, poetica, hiſtoria.

ORATIO.

SED ne cui ueſtrum mirum eſſe uideatur, me in quæſtione legitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud prætorem populi R. lectiſſimum uirum, & apud ſeueriſſimos iudices, tanto conuentu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a conſuetudine iudiciorum, uerum etiam a forenſi ſermone abhorreat: quæſo a uobis, ut in hac cauſſa mihi detis hanc ueniam, accommodatam huic reo, uobis, quemadmodum ſpero, non moleſtam, ut me, pro ſummo poeta, atque eruditiſſimo homine dicentem, hoc concurſu hominum litteratiſſimorum, hac ueſtra humanitate, hoc denique prætore exercente iudicium patiamini de ſtudijs humanitatis, ac litterarum paullo loqui liberius, & in eiusmodi perſona, quæ, propter otium, ac ſtudium, minime in iudicijs, periculisq. tractata eſt, uti prope nouo quodam & inuſitato genere dicendi. quod ſi mihi a uobis tribui, concediq. ſentiam; perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, cum ſit ciuis, a numero ciuium, uerum etiam, ſi non eſſet, putetis adſciſcendum fuiſſe.

EXPLANATIO.

ME in quæſtione] prætorum duo iudicabant, unus inter ciues, qui prætor urbanus dicebatur, alter inter peregrinos: ceteri de criminibus quærebant, qui & quæſitores ideo uocabantur, unde quæſtio. quærebatur autẽ in hoc iudicio, ciuis Romanus,

B necne,

necne, eſſet Archias, prætore iudicium exercete. LEGITIMA,] de qua lex eſt, & quæ lege exercetur. IN IVDICIO publico,] iudicium publicum eſt, de quo accuſare cuiuis licet: priuatū, in quo priuata lis agitur, & priuatim duo litigant inter ſe, ius dicente prætore urbano, aut peregrino, qui recuperatores dare conſueuerant. PRAETOREM populi R.] additur, Populi R. exaggerãdi gratia: ut cum dicitur, Senator populi R. nam & prætor, & ſenator, per ſe appellantur. SEVERISSIMOS iudices,] apud quos, extra cauſſam ſi quid affertur, locum habere non uidetur. TANTO conuentu hominum, ac frequentia,] magna populi corona. nam ad audiendos oratores, præſertim ubi cauſſa illuſtris aliqua ageretur, populus conuenire conſueuerat. HOC uti genere dicendi,] de ſtudiis, quæ ad humanitatem pertinent. A FORENSI ſermone] Sermo enim in foro de huiuſmodi ſtudiis eſſe nõ ſolet. ACCOMMODATAM huic reo,] qui excellit eo ſtudiorum genere, de quo ſum dicturus. NON moleſtam,] pro ueſtra humanitate, cum de ſtudiis loquar humanitatis. ERVDITISSIMO homine] ſummus enim poeta, etſi magnam uim atque facultatem a natura ſumit, eruditione tamen ornatur uehemẽter, atque expolitur. HOC concurſu hominum litteratiſsimorum,] audiendi ſtudium non in populo tantum rudi, & litterarum experte, ſed in doctiſsimis etiam hominibus reus Archias, poeta ſummus, & homo eruditiſsimus, defendente præſertim Cicerone, commouerat. HAC ueſtra humanitate,] litterarum illarum ſcientia, de quibus mihi ſermo futurus eſt. Hoc ſenſu interdum accipitur humanitas: quod cum exempla declarant, tum Gellius quoque docuit. HOC denique prætore exercente iudicium,] a rebus quattuor argumentū ſumit, cur ſibi liceat de ſtudiis humanitatis, ac litterarum paullo loqui liberius: ab ipſo reo, ab iis, qui ad audiendum conuenerant, a iudicum humanitate, a prætore lectiſsimo uiro. eſt enim emphaſis quædam in pronomine, HOC. MINIME in iudiciis, periculiſq. tractata eſt,] cum nouus Archias in iudiciis, periculiſq. ſit, mihi quoque concedendum uidetur, ut inſolitus cauſſa prope nouo quodam, & inuſitato utar genere dicendi. Tractata eſt. tractare, uſum & experiẽtiā ſignificat. PERFICIAM profecto,] cognita Archiæ uirtute. CVM ſit ciuis,] oratorie, quaſi aliud agens, Archiæ cauſſam ſe eſſe probaturum ſignificat, ubi ad locum peruenerit. ADSCISCENDVM] aggregandum, adiungendum. hoc uerbum de foro migrauit ad omnes res. nam, ſciſcere, plebis eſt: unde plebiſcitum. ciuitas autem hoc tempore non ſingil-

ſingillatim, plebe ſciſcente, dabatur: ſed, quicumque fœderatæ ciuitati adſcriptus fuiſſet, ſi Romæ domicilium habuiſſet; & ſi ſexaginta diebus apud prætorem eſſet profeſſus; is, uel nullo plebiſcito, ciuitate donatus intelligebatur. Oppoſita ſunt igitur, Segregandum, Adſciſcendum.

ORATIO.

NAM ut primum ex pueris exceſſit Archias, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit: primum Antiochiæ (nam ibi natus eſt, loco nobili, & celebri quondam urbe, & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimisq. ſtudijs affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit: poſt, in ceteris Aſiæ partibus, cunctaq. Græciæ, ſic eius aduentus celebrabatur, ut famam ingenij exſpectatio hominis, exſpectationem ipſius aduentus, admiratioq. ſuperaret. Erat Italia tunc plena Græcarum artium, ac diſciplinarum; ſtudiaq. hæc & in Latio uehementius tum colebantur, quam nunc iiſdem in opidis; & hic Romæ propter tranquillitatem reip. non negligebantur: itaque hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani ciuitate, ceterisq. præmijs donarunt: & omnes, qui aliquid de ingenijs poterant iudicare, cognitione, atque hoſpitio dignum exiſtimarũt. Hac tanta celebritate famæ, cum eſſet iam abſentibus notus, Romam uenit Mario conſule, & Catulo. nactus eſt primum conſules eos, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter cum res geſtas, tum etiam ſtudium, atque aures adhibere poſſet.

EXPLANATIO.

EX PVERIS exceſſit] ex pubertatis annis: quod Terentius dixit, Ex ephebis exceſſit. AB IIS artibus,] a cognitione artis poeticæ, rhetoricæ, hiſtoriæ. AD humanitatẽ] iis enim artibus animi rudes ad humanitatem, & morum elegantiam excoluntur. INFORMARI] quaſi formæ initium a litteris accipiat puerilis ætas, quæ per ſe informis eſſet. Informare autem non abſolutam formam, ſed inchoatam ſignificat: ut ſit, in formam inducere. unde illud ep. 1. ad Att. Petitorum hæc eſt adhuc informata cogitatio. Et ad eundem: Næ tu haud multum requireres illum uirum, qui in ſexto libro informatus eſt. ANTIOCHIAE] urbs Syriæ

fuit, ab Antiocho rege condita. LOCO nobili,] honeſtis parentibus, non obſcura familia. CELEBRI quondam urbe,] celebris, & deſertus, opponuntur. frequentiam igitur ciuium ſignificat: addit rerũ copiam, artium liberalium ſtudia. ubi enim hæc tria ſunt, nihil illa urbe commodius, nihil nobilius. INGENII gloria] ſcriptis parta. CONTIGIT:] non contigit Romæ, non in Italia, ſed Antiochiæ primum, ubi natus eſt. VT FAMAM ingenii exſpectatio hominis, exſpectationem ipſius aduentus, admiratioq. ſuperaret.] magna laus, ubi famam res ipſa uincit, id Cicero tribuit Catoni Vticenſi, in eo libro, quem poſt eius interitum ſcripſit. Contingebat, inquit, in eo, quod pleriſque cõtra ſolet, ut maiora omnia re, quam fama, uiderentur, id quod non ſæpe euenit, ut exſpectatió cognitione, aures ab oculis uincerentur. Inde ſumpſit illud, delectatus egregia ſententia, Virgilius lib. *6*. O fama ingens, ingentior actis, uir Troiane. ERAT Italia] tranſit ex Aſia in Græciam, ex Græcia in Italiam, ex Italia in Latium, ex Latio ad urbem Romam: quibus omnibus in locis Archiam propter ingenii præſtantiam in honore fuiſſe dicit. TVNC plena Græcarum artium,] ſero admodum Græcas artes, nec fere niſi poſt euerſam Carthaginem, Italia cognouit, ſecuro otio potita, nihil iam timens ab externis hoſtibus. IN LATIO uehementius tum colebantur,] nondum exorto Sociali bello, quo litterarum ſtudia ſunt intermiſſa. PROPTER tranquillitatem reip.] ſublatis omnibus bellis. NON negligebantur:] maiorem Latio laudem tribuit, quam Romæ. nam de Latio dixit, Colebantur: de urbe Roma, Non negligebantur. TARENTINI, & Rhegini, & Neapolitani] qui ſunt omnes in Italia, extra Latium. ii, quo tempore Archiam ciuitate donarunt, fœderati erant, & ſuis legibus, non Romanis utebantur; poſtea lege Iulia, belli Socialis anno primo lata, municipes facti ſunt. nam quod ait Velleius Tarentũ coloniam eſſe deductam poſt annum quam Fabrateriam, ideſt Cn. Domitio, C. Fannio coſ. anno urbis DCXXXI. id uidetur eſſe falſum; cum aliquot poſt annis tamquam in fœderatam ciuitatem adſcribatur Archias. Rheginos fœderatos tum fuiſſe, eadem ratio probat: municipes poſtea, ideſt ciues Romanos, docet hic noſter lib. 4. in Verr. Quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues R. ſunt, mereri uelle, ut ab iis marmorea Venus illa ne auferatur? De Neapoli idem dico, poſt legem Iuliam municipium fuiſſe. argumẽto illud eſt in ep. ad Acilium: L. Manlius eſt Soſis. is fuit Catinenſis, ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis ciuis R. factus, decurioq. Neapoli. erat enim adſcriptus in id mu-

id municipium, ante ciuitatē ſociis, & Latinis datam. Antea uero exſules Romanos Neapoli, tamquam in fœderata ciuitate eſſe potuiſſe Polybius ait lib. 6. IAM abſentibus notus,] non video, cur mutare, & pro, Iam, reponere, Etiam, quod Faerno placebat, neceſſe ſit. coniungo enim, Iam notus, non, Iam abſentibus. NACTVS eſt] quod fortunæ fuit. QVORVM alter] Marius. CVM res geſtas,] triumphauerat enim Catulus de Cimbris, Marius autem de iiſdem, de Ambronibus, de Teutonis, præterea triennio ante de Numidis. TVM etiam ſtudium,] ſtudium legendo, aures audiendo. Catulus enim Græcas diſciplinas uidetur nouiſſe: cum dicat Cicero lib. 2. de Orat. Ariſtoteles Catule ueſter. Et in Bruto: Iamq. Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus. multæ litteræ: ſumma non uitæ ſolum, atque naturæ, ſed orationis etiam comitas. AVRES] quæ, quod audirent, iudicare poſſent.

ORATIO.

STATIM Luculli, cum prætextatus etiam tum Archias eſſet, eum domum ſuam receperunt. Sed enim hoc non ſolum ingenij, ac litterarum, uerum etiam naturæ, atque uirtutis fuit, ut domus, quæ huius adoleſcentiæ prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima ſenectuti. Erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico, & eius Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: uiuebat cum Q. Catulo, & patre, & filio: a L. Craſſo colebatur: Lucullos uero, & Druſum, & Octauios, & Catonem, & totam Hortenſiorum domum deuinctam conſuetudine cum teneret, afficiebatur ſummo honore; quod eum non ſolum colebant, qui aliquid percipere, aut audire ſtudebant, uerum etiam ſi qui forte ſimulabant. Interim, ſatis longo interuallo, cum eſſet cum L. Lucullo in Ciciliam profectus; & cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet; uenit Heracleam: quæ cum eſſet ciuitas æquiſſimo iure, ac fœdere, adſcribi ſe in eam ciuitatem uoluit; idq., cum ipſe per ſe dignus putaretur, tum auctoritate, & gratia Luculli ab Heraclienſibus impetrauit.

EXPLANATIO.

LVCVLLI,] Lucius, & Marcus, fratres: quorum Lucius de Mithridate, & Tigrane, Marcus ex Macedonia triumphauit. PRAETEXTATVS] nondum natus annos xvij. ea enim ætate, prætexta depoſita, uirilem togam ſumebant. Hic tamen eſt, cur

cur mirer, prętextatum Archiam dici, cum de eodem ſupra dictum ſit, Vt primum ex pueris exceſsit Archias, quo tempore adhuc erat Antiochiæ: nec potuit, niſi multis poſt menſibus, Romam peruenire: cum præſertim, Tarenti, Rhegii, Neapoli aliquandiu eum fuiſſe, ut ingenii ſui ſpecimē daret, quo ciuitatum illarum honorē obtinuit, uериſimile ſit. quem nodum, ſi quis uelit, ita ſoluat, ex pueris exceſſiſſe Archiam, dici, ideſt, ex ætate puerili, non cum annos xvij. natus eſſet: quod prætextæ deponēdæ tempus erat. NON ſolum ingenii, ac litterarum,] multi enim ingenio, litteriſq. præſtantes, amicitiam ad ſenectutem naturæ uitio non perducunt. NATVRAE, atque uirtutis] humanitatis, & probitatis. Q. METELLO illi Numidico,] & hic, & filius propter nobilitatem ac uirtutem ita noti ſunt, ut longior de iis oratio minime requiratur. AVDIEBATVR] recitabant, atque adeo muſice canebant poetæ ſuos uerſus, nec ſolum in cœtu familiari, ſed etiam in foro, audiente populo. unde illud Catulli: Riſi neſcio quem modo in corona: „ Qui, cum mirifice Vatiniana „ Meus crimina Caluus explicaſſet, „ Admirās, ait, hæc, manuſq. tollens, „ Dii magni, ſalicippium diſertum. Sic enim adoleſcentulus, examinatis diligenter in 4. Controuerſiarum Senecæ uerbis, olim emendaui. Iuuenalis quoque: Semper ego auditor tantum? numquā ne reponam, „ Vexatus toties rauci Theſeide Codri? M. AEMILIO:] Scauro, principe ſenatus, patre eius, quem poſtea Cicero defendit. L. CRASSO] oratore ſummo. DRVSVM,] M. Liuium Druſum, M. Catonis Vticenſis auunculum, qui tribunus pl. initio belli Socialis a neſcio quo domi ſuæ eſt interemptus. Velleius, & alii. OCTAVIOS,] tres Octauios, unum Cnæum, qui conſul fuit cum Cinna: alterum Cnæum, non eodē patre natum, C. Curionis in conſulatu collegam: tertium Lucium, fratrem Cnæi, quem primum nominauimus, qui cum C. Cotta conſulatum geſsit. CATONEM,] Marcum fortaſſe, patrem Catonis Vticenſis, nominatum lib. 2. Off. qui præturam petens deceſsit. fuit & alter Cato, Lucii prænomine, qui cum Cn. Pompeio Strabone, anno ſecundo Socialis belli, conſul in prœlio occiſus eſt. AFFICIEBATVR ſummo honore,] non ab iis tantum, qui proxime ſunt appellati, ſed prorſus ab omnibus. CVM L. Lucullo] poſt conſulatum. HERACLEAM:] plures hoc nomine urbes fuere: hæc Italia Heraclea eſt. AEQVISSIMO iure, ac fœdere,] Quod cum ea, Pyrrhi temporibus, C. Fabritio conſule ictum eſſe, docet oratio pro Balbo. Fœderati autem erant iure Italico Tarentini, Rhegini,

Neapo-

Neapolitani, quod erant extra Latium: qui uero intra Latium populi, iure Latii: qui in Gallia, iure Gallico. Sed cum dicat hic Cicero Quod erant æquiſsimo iure, ac fœdere; uidetur omnino ſignificare, meliore quodam iure, ac fœdere Heraclienſes fuiſſe, quam Tarentinos, Rheginos, Neapolitanos. alioqui cur in eos adſcribi cuperet Archias, quaſi ceteris, in quos adſcriptus antea fuerat, neglectis? quorum etiam tabulis Archiam nõ uti, quod ſemper ſe Haraclienſem eſſe uoluerit, infra dicit. AVCTORITATE,] uiri conſularis.

ORATIO.

DATA eſt ciuitas Siluani lege, & Carbonis; ſi qui fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent; ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus apud prætorem eſſent profeſſi. cum hic domicilium Romæ multos iam annos haberet, profeſſus eſt apud prætorem Q. Metellum, familiariſſimum ſuum. Si nihil aliud, niſi de ciuitate, ac lege, dicimus; nihil dico amplius; cauſſa dicta eſt. quid enim horum infirmari, Gracche, poteſt? Heracleæ ne eſſe eum adſcriptum negabis? adeſt uir ſumma auctoritate, & religione, & fide, L. Lucullus; qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Adſunt Heraclienſes legati, nobiliſſimi homines; qui huius iudicii cauſſa cum mandatis, & cum publico teſtimonio uenerunt; qui hunc adſcriptum Heraclienſem dicunt.

EXPLANATIO.

DATA eſt ciuitas Siluani Lege, & Carbonis;] tranſitus eſt ab Heraclea Archiæ data, ad urbem Romã, ut omnibus dari poſſet; qui fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent; ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus apud prætorem eſſent profeſſi. M. Plautius Siluanus, & C. Papirius Carbo, eius Carbonis, qui eloquentia excelluit, filius, eam legem tulere, cum tribuni pl. eſſent, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. Q. METELLVM,] eum, qui poſt biennium cum Q. Hortentio conſul fuit, &, in Creta re bene geſta, Cretici cognomen obtinuit. CAVSSA dicta eſt.] nam legi ſatisfecit Archias. ergo ciuis eſt. ſi negas, hæc infirma. GRACCHE,] arbitror hũc eſſe Numerium Quinctium Gracchum, qui tribunus pl. fuit quo anno Cicero

Cicero reſtitutus eſt: &, cum de reditu eius magiſtratus omnes promulgaſſent, ſolus cum collega ſuo Sex. Atilio Serrano, & uno Ap. Claudio prætore, P. Clodii fratre, diſſenſit: ut in oratione in Piſonē, & apud Pedianum. NON opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe] nō eſt diſſimilis illa figura pro Milone. Eſt enim hæc, iudices, non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtructi, ſed imbuti ſumus. QVI hunc adſcriptum Heraclienſem dicunt.] nam tabulæ publicæ interierant.

ORATIO.

HIC tu tabulas deſideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello, incenſo tabulario, interijſſe ſcimus omnes. Eſt ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere; quærere, quæ habere non poſſumus; & de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare; et cum habeas ampliſſimi uiri religionem, integerrimi municipij iuſiurandum, fidemq., ea, quæ deprauari nullo modo poſſunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare. At domicilium Romæ *non habuit, is, qui, tot annis ante ciuitatem datam, ſedem omnium rerum, ac fortunarum ſuarum Romæ collocauit. At non eſt profeſſus. Immo uero ijs tabulis profeſſus, quæ ſolæ ex illa profeſſione, collegioq. prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. nam, cum Appij tabulæ negligentius aſſeruatæ dicerentur; Gabinij, quamdiu incolumis fuit, leuitas, poſt damnationem calamitas omnem tabularum fidem reſignaſſet; Metellus, homo ſanctiſſimus, modeſtiſſimusq. omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum prætorem, & ad iudices uenerit, & unius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit.*

EXPLANATIO.

HIC] non abeſt indignatio quædam: quale illud in epiſtola ad Lucceium: Hic tu ea me abeſſe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poſsit, ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiæ? Et ad Trebatium: Hic tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis. TABVLAS Heraclienſium] quibus, eum Heracleæ adſcriptum eſſe, iudicibus probem. ITALICO bello,] quod exortum eſt anno urbis DCLXIII. ſociis indignan-

dignantibus, quod lege Licinia & Mucia ſuas in ciuitates redire iuſsi eſſent. Triplex nomen eius belli fuit, Italicum, Sociale, Marſicum. INCENSO tabulario,] quo tabulæ, in quibus ciuium omnium nomina ſcripta erant, cuſtodiebantur. id uidetur fuiſſe in poteſtate cenſorum & Heracleæ, & reliquis in ciuitatibus, ſicuti Romæ fuit. nam Liuius lib. 43. Cenſores, inquit, extemplo in atrium Libertatis adſcenderunt; & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoq. tabulario, & dimiſsis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquam publici negotii geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet. In oratione pro Milone, non in atrio Libertatis, ſed in æde Nympharum, loco fortaſſe mutato, tabularium fuiſſe conſtat. ibi enim de Clodio: Eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recenſionis, tabulis publicis impreſſam, extingueret. DE hominum memoria tacere,] qui Archiam Heracleæ adſcriptum dicebant, & cum mandatis, publicoq. teſtimonio uenerant. AMPLISSIMI uiri] L. Luculli. RELIGIONEM,] teſtimonium cum iureiurando dictum. ſupra: Adeſt uir ſumma auctoritate, & religione, & fide, L. Lucullus. INTEGERRIMI] quod corrumpi non poſsit. MVNICIPII] hæc dicente Tullio municipium Heraclea fuit; antea, cum in eam Archias adſcribi uoluit, libera ciuitas & fœderata. dixit enim ſupra: Quæ cum eſſet ciuitas æquiſsimo iure, ac fœdere, adſcribi ſe in eam ciuitatem uoluit. Infra quoque municipium appellat. IS, QVI,] reſponſio ad obiectionem, prope coniuncta: ut irrideatur accuſator, qui obiecerit imperite, quod refelli nullo negotio poſsit. Similiter in oratione pro Sulla diluitur obiectio cum irriſione quadam, ratione non ſeparatim ſubiecta, ſed ſtatim illata. Arrepta, inquit, eſt familia: quæ ſi eſſet prætermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus præbere. ANTE ciuitatem datam,] Siluani lege, & Carbonis. quæ ciuitatem non dabat, niſi qui domicilium in Italia, cum lex ferretur, habuiſſet. ROMAE collocauit.] relicta Heraclea, in quam adſcriptus erat. APPII] prætoris. GABINII.] prætoris. QVAMDIV incolumis fuit,] antequam condemnaretur. OMNEM tabularum fidem reſignaſſet;] omnem eius tabulis, in quibus profeſſorum erant nomina, fidem abrogaſſet. Reſignaſſet, inquit, quia tabulæ obſignabantur annulo prætoris. ET AD iudices] ut de litura illa, quam in ſuis tabulis deprehenderat, iudicarent.

ORATIO.

HIS igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinij uidetis. Quæ cum ita ſint; quid eſt, quod de eius ciuitate dubitetis? præſertim cum alijs quoque in ciuitatibus fuerit adſcriptus. etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis gratuito ciuitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod ſcenicis artificibus largiri ſolebant, id huic, ſumma ingenij prædito gloria, noluiſſe. Quid? cum ceteri non modo poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint: hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quod ſemper ſe Heracleinſem eſſe uoluit, reijcietur? Cenſus noſtros requiris. Scilicet: eſt enim obſcurum, proximis cenſoribus hunc cum clariſſimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuiſſe, ſuperioribus cum eodem quæſtore fuiſſe in Aſia, primis, Iulio, & Craſſo, nullam populi partem eſſe cenſam. Sed quoniam cenſus non ius ciuitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui ſit cenſus, ita ſe iam tum geſſiſſe pro ciue: ijs temporibus, quæ tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio in ciuium R. iure eſſe uerſatum, & teſtamentum ſæpe fecit noſtris legibus, & adijt hereditates ciuium R. & beneficijs ad ærarium delatus eſt a L. Lucullo prætore, & conſule. Quære argumenta, ſi qua potes: numquam enim hic neque ſuo, neque amicorum iudicio reuincetur.

EXPLANATIO.

IN nomen A. Licinii] erunt fortaſſe, qui legendum exiſtiment, In nomine: ſed nihil mutandum: eſt enim, In nomen, pro, contra nomen, ad deprauationem nominis. HVMILI aliqua arte præditis] ut ſcenicis artificibus. hos enim paullo poſt ad exemplum nominat. Romæ quoque hiſtriones omnes, præter actores Atellanarum, tribu mouebantur, & ſtipendiis ut infames repellebantur. Liuius lib. 8. Valerius lib. 2. c. 4. GRATVITO] nullo eorum merito, nulla, aut humili arte. IN GRAECIA] partem illam Italiæ ſignificat, quæ magna Græcia uocabatur, cuius a Latii finibus initium erat. Latium autem amne Liri terminabatur: ut docet Plinius lib. 3. cap. 5. HOMINES] populi, ut Rhegini, Locrenſes, Neapolitani, Tarentini, qui extra Latium erant in Græcia. LOCRENSES,] hos ſupra non nominauit: cum tamen a reliquis, hic nominatis, ciuitate

tate donatum eſſe Archiam diceret .] POST ciuitatem datam,] leges de ciuitate biennio duæ latæ ſunt, una conſularis, altera tribunicia: conſularis, L. Iulii Cæſaris, anno primo Italici belli, ut ſociis, qui in fide manſiſſent, aut arma depoſuiſſent, ciuitas daretur: tribunicia, M. Plautii Siluani, C. Papirii Carbonis, anno altero eiuſdem belli, non ut uniuerſe daretur, uerum ut ſingulis hominibus, qui modo fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, & tum, cum lex ferretur, domicilium Romæ haberent, & apud prætorem ſexaginta dies profeſsi eſſent. hic de conſulari ſermo eſt. nominantur enim tabulæ municipiorum, in quibus ſcripti ciues R. erant: de ſententia uero tribuniciæ, quæ condiciones præſcribebat, nihil additur. POST legem Papiam] quæ pœnam irrogabat iis, qui fraude aliqua in tabulas municipiorum irrepſiſſent; ut inde ciuitatem Romanam, quaſi municipiis adſcripti, conſequi poſſent. municipia enim tunc erant Rhegium, Locri, Neapolis, Tarentum, quæ fœderatæ fuerant ciuitates ante legem Iuliam. qua de re ſupra diximus. CENSVS noſtros requiris.] ut de ciuitate Archiæ data cognoſcatur. SCILICET:] Subaudi, debes eos requirere. ironia: ut illud Virgilianum: Scilicet is ſuperis labor eſt. Et Terentius: Id populus curat ſcilicet. Hoc autem a ſuperioribus diſtinxi. nam antea, nulla diſtinctione, legebatur, Cenſus noſtros requiris ſcilicet. PROXIMIS cenſoribus] Cn. Lentulo Clodiano, & L. Gellio. nam qui poſt eos fuere, Catulus, & Craſſus, abdicarunt: qui uero poſt eos creati ſunt, Cotta, & Seruilius Iſauricus, cenſum non egerunt: qui actus poſt triennium eſt, non exſpectato legitimo quinquennio, auctoribus Dione, & Cicerone lib. 1. ep. ad Att. Præterea non Catulo, & Craſſo, neque Cotta, & Seruilio, ſed Lentulo, & Gellio cenſoribus, Lucullus cum Mithridate bellauit, Pompeio, & Craſſo cos. quod Cicero docet lib. 4. in Verrem his uerbis: Quid? Eupolemo Calatino, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit? Orationes autem in Verrem habitæ ſunt, uel ſcriptæ potius, Pompeio conſule, & Craſſo: quo anno cenſores creatos eſſe Lentulum, & Gellium, ex Cicerone, Aſconio, Plutarcho ſatis conſtat. quo autem anno Catulus, & Craſſus, uel Cotta, & Seruilius cenſores fuere, Lucullus ad urbem, obſiſtentibus inimicis, ne triumphare poſſet, morabatur, nec niſi Cicerone conſule triumphauit. L. LVCVLLO] Mithridaticum bellum gerente. APVD exercitum] in exercitu, & apud exercitum, non eodem ſenſu dicitur: in exercitu, qui miles eſt; apud exercitum, qui uel negotii, uel rei militaris cognoſcendæ gratia, uel quouis potius, quam ſtipendii, nomine,

in exercitu eſt. ſic in Verrem lib. 4. Quid? Eupolemo Calatino, homini nobili, Lucullorum hoſpiti, ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit? Archias autem non miles erat, ſed pro ſua uirtute contubernalis imperatoris. SVPERIORIBVS] Philippo, & Perperna. PRIMIS, Iulio, & Craſſo,] fortaſſe, Iulio, & Craſſo, gloſſema eſt: cum ceterorum cenſorum nomina ſint omiſſa. NVLLAM populi partem eſſe cenſam.] propterea triennio poſt Philippus & Perperna creati ſunt ante legitimum tempus. IN BENEFICIIS ad ærarium delatus eſt] hunc ego morem deferendi ad ærarium, ſi qui bene de rep. meriti eſſent, didici olim ex epiſt. 20. lib. 5. Fam. in qua ſic eſt: Quod ſcribis de beneficiis, ſcito a me tribunos militares, & præfectos, & contubernales dumtaxat meos delatos eſſe. Qui enim utilem reip. operam in bello quacumque ratione nauauerant, eorum nomina, ex eo bello reuerſi, uel prætores, uel imperatores ad ærarium deferebant: quæ beneficia dicebantur: quia beneficium erat erga illos, quorum nomina deferebantur. NEQVE ſuo, neque amicorum iudicio] Suo, quia legi ſatisfecit. nam & fœderatæ ciuitati adſcriptus eſt: & domicilium Romæ multos annos ante legem latam habuit.: & apud prætorem Q. Metellum profeſſus eſt. Reſpondet ad illud: Iis temporibus, quæ tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio in ciuium R. iure eſſe uerſatum. Amicorum: quia in beneficiis ad ærarium delatus eſt a L. Lucullo prætore, & conſule. REVINCETVR.] conuincetur, coarguetur.

ORATIO.

QVAERES a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur; & aures, conuicio defeſſa, conquieſcant. An tu exiſtimas, aut ſuppetere nobis poße, quod quotidie dicamus in tanta uarietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? ego uero fateor me his ſtudijs eſſe deditum. ceteros pudeat, ſi qui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum, lucemq. proferre: me autem quid pudeat? qui tot annos ita uiuo, iudices, ut a nullius me umquam tempore, aut commodo, aut otium meum abſtraxerit, aut uoluptas auocarit, aut denique ſomnus retardarit. Quare quis tandem

dem me reprehendat , aut quis mihi iure ſuccenſeat , ſi , quantum ceteris ad ſuas res obeundas , quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias uoluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis , quantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuijs,quantum denique aleæ , quantum pilæ , tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero ? atque adeo mihi concedendum eſt magis, quod ex his ſtudijs hæc quoque creſcit oratio , & facultas : quæ quantacumque in me eſt , numquam amicorum periculis defuit : quæ ſi cui leuior uidetur ; illa quidem certe, quæ ſumma ſunt , ex quo fonte hauriam , ſentio . nam niſi multorum præceptis,multisq. litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem , nihil eſſe in uita magnopere expetendum , niſi laudem , atque honeſtatem ; in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis , omnia pericula mortis , atque exſilij parui eſſe ducenda : numquam me pro ſalute ueſtra in tot , ac tantas dimicationes , atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obieciſſem . ſed pleni omnes ſunt libri , plenæ ſapientum uoces , plena exemplorum uetuſtas : quæ iacerent in tenebris omnia , niſi litterarum lumen accederet . Quam multas nobis imagines , non ſolum ad intuendum , uerum etiam ad imitandum , fortiſſimorum uirorum expreſſas ſcriptores & Græci , & Latini reliquerunt ? quas ego mihi ſemper in adminiſtranda rep. proponens , animum , & mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam .

EXPLANATIO.

TEMPESTIVIS conuiuiis,] ſi cum alea, & cum pila coniunguntur ; certe in turpibus rebus eſſe habita , licet exiſtimare . atque in hac quidem opinione confirmor, cum illud lego , ſcriptum in orat. pro Murena : Tempeſtiui conuiuii , amœni loci , multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio . Et ep. 1 . lib. 9. ad Att. Audio multa in me , & ſeuere in conuiuiis tempeſtiuis quidem diſputari . Et ep. 11. Quas enim eos cenas & facere , & obire , ſcripſit ad me Sextus? quam lautas? quam tempeſtiuas? Conſentire Tacitus uidetur, qui lib. 18. ita ſcripſit . Legati , tribuniq. ex moribus imperatorum ſeueritatem æmulantur, uel tempeſtiuis conuiuiis gaudent : perinde miles intentus , aut licentior . His exemplis adducor , ut apud Suetonium in Caligula legendum exiſtimem , Tempeſtiua conuiuia, non , Intempeſtiua . Inter hæc, inquit, abſentem ſenatum,populumq. grauiſsimo obiurgauit edicto , quod , Cæſare prœliante , & tantis diſcriminibus obiecto , tempeſtiua conuiuia circum & theatra , & amœ-

nos

nos ſeceſſus celebrarent. ALEAE] alea dicitur, ſi quid fortunæ committitur, ſiue ioco agitur, ſiue ſerio, ut alea certaminis apud Liuium. & quoniam aleæ ludus proprie in iactu teſſerarum eſt, quarum incertus euentus; propterea Cæſar belli ciuilis initio, cum Rubiconem amnem tranſiret, Iacta, inquit, eſt alea: ut dubio Marte de iure publico dimicandum oſtenderet. RECOLENDA] ex interuallo repetenda. proprie enim intermiſſa recoluntur. MIHI concedendum eſt magis,] qui præter ceteros in eloquentia, & dicendi facultate operam, curamq. pono. NVMQVAM amicorum periculis defuit:] dixerat glorioſe, Mihi concedendum eſt magis: et, Quantacumque in me eſt: nunc utrumque corrigit, benignitatem ſuam oſtendens in amicis adiuuandis. QVAE ſi cui leuior uidetur;] ego quoque, inquit, grauiora, & præſtantiora eſſe alia, quam hæc eſt oratio, & facultas, eaq. ex alio fonte ſumi, non ignoro. ac me quidem ita ſentire, & ita ab adoleſcentia conformatum fuiſſe, indicat illud tempus, cum ueſtra mihi ſalus ita cara fuit, ut pro ea me in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecerim. Significat autem eas litteras, quæ præſtantiore quodam ſcientiæ genere animos ad laudem, & ad honeſtatem excitant: quæ philoſophiæ pars eſt nobiliſsima. atque huc pertinent illa uerba, Niſi multorum præceptis, multisq. litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in uita magnopere expetendum, niſi laudem, atque honeſtatem. Delector, inquit, hac oratione, & facultate: quæ ſi cui leuior uidetur, me ſciat grauiora ſimul ſtudia iam inde ab adoleſcentia coluiſſe. Sententia non uidetur obſcura: nonnullis tamen in mentem uenit, Lautior, reponere pro, Leuior: qui quam recte ſentiant, ex iis, quæ diximus, coniicere cuiuis licet. MVLTISQ. litteris] magno doctrinarum ſtudio. NISI laudem, atque honeſtatem;] eadem ſententia in oratione pro Sextio de Piſone laudi, atque honeſtati uoluptatem præferente, Eos, inquit, qui dicerent dignitati eſſe ſeruiendum, reip. conſulendum, officii rationem in omni uita, non commodi, eſſe ducendam, ſubeunda pro patria pericula, uulnera excipienda, mortem oppetendam, uaticinari, atque inſanire dicebat. OBIECISSEM.] cum Catilinæ coniurationem oppreſsi. LIBRI,] libris, uocibus, exemplis conformatur animus, & ſtudio laudis, atque honeſtatis accenditur. LVMEN accederet,] ſic legendum, non, Accenderet. nam ad abſoluendam metaphoram, Lumen, quod Tenebris reſpondet, ſatis eſt. ut omittam, quod inter tenebras & lumen, accendere, locum non habet. Eodem uerbo in eadem ſen-

tentia uſus eſt Valerius Max. lib.8.c.15. Superior Africanus, inquit, Ennii poetæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari uoluit, quod ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret, nõ quidem ignarus, quamdiu Romanum imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus eſſet ſubiecta, totiusq. terrarum orbis ſummum culmen arx Capitolina poſsideret, eorum extingui memoriam non poſſe, ſi tamen illis literarum quoque lumen acceſsiſſet, magni æſtimans. NON ſolum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum,] Ad intuendum, uoluptatis gratia: Ad imitandum, ut eorum exemplo laudabiliter uiuamus. IPSA cogitatione] librorum lectio cogitationem, cogitatio actionem parit. ita, quales libri, tales hominum actiones exiſtunt.

ORATIO.

QVAERET quiſpiam: quid? illi ipſi ſummi uiri, quorum uirtutes litteris proditæ ſunt, iſta ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo, ac uirtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu prope diuino, per ſe ipſos & moderatos, & graues extitiſſe fateor: etiam illud adiungo, ſæpius ad laudem, atque uirtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura ualuiſſe doctrinam. atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam, conformatioq. doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum, ac ſingulare ſolere exiſtere: ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri uiderunt, diuinum hominem Africanum; ex hoc C. Lælium, L. Furium, modeſtiſſimos homines, & continentiſſimos; ex hoc fortiſſimum uirum, & illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem: qui profecto ſi nihil ad percipiendam, colendamq. uirtutem litteris adiuuarentur, numquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur; & ſi ex his ſtudijs delectatio ſola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remiſſionem humaniſſimam, ac liberaliſſimam indicaretis. nam ceteræ neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum: hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant; ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, ac ſolatium præbent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Quod ſi ipſi hæc neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus; tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis uideremus.

EXPLANATIO.

ISTA ne doctrina,] philoſophiam ſignificat. DIFFICILE eſt hoc de omnibus confirmare:] nam nec omnes eruditi, nec omnes litterarum expertes. EST certum, quid reſpondeam.] pro ea ſcilicet doctrina, quam laudibus effero. dicam enim, ſi ea cum natura coniungatur, neſcio quid præclarum, ac ſingulare ſolere exiſtere. MVLTOS homines excellenti animo, ac uirtute] uere; Multos. nam per multa ſæcula Romani Græcas artes ac diſciplinas ignorarunt: animo tamen ac uirtute præſtantes, ampliſsimam ex minima remp. fecerunt. primus, opinor, M. Cato Cenſorius inter ſecundum, & tertium Punicum bellum in litterarum ſtudiis egregia cum induſtria uerſatus eſt: poſt eum Africanus minor, C. Lælius, L. Furius, æquales; qui ſimul infra nominantur. PER ſe ipſos & moderatos, & graues extitiſſe] ex doctrina igitur & moderatio ſumitur, & grauitas: quæ ſi a natura dantur, quod non omnibus contingit, magnæ res, & immortali laude dignæ, nulla doctrinæ ope, geruntur, otioſam autem, languentemq. naturam doctrina ſæpe excitat. AFRICANVM;] Paulli Aemilii filium, qui minor Africanus dictus eſt, habita ratione temporis. nam uirtute minorem fuiſſe, nemo uere dixerit. minorem autem hic ſignificari, non maiorem, primum ex eo liquet, quia cum Furio nominatur, qui fuit æqualis eius: deinde, quia maior litterarum expers, minor ſcientiæ deditus: poſtremo, ut de maiore dicatur, Quem patres noſtri uiderunt, hiſtoriæ ratio non patitur. L. FVRIVM,] Philum, qui cum Sex. Atilio Serrano conſul fuit. is perbene loqui putabatur, litteratiusq. quam ceteri: ut in Bruto. de iuſtitia diſputantem induxit Cicero in libris de rep. Et quemadmodum hic cum tribus præſtantiſsimis uiris, natura, doctrinaq. pariter inſtructis, Africano, Lælio, Catone, ſic in orat. pro Murena cum iiſdem coniungitur, ut in laude ſimillimus. quamquam in omnibus libris, qui ad hanc diem exierunt, ibi deprauate legitur, L. Philippo, pro, L. Philo. MODESTISSIMOS homines, & continentiſsimos;] laudat hos, doctrina excultos, ab eiſdem uirtutibus, quas paullo ante tribuit iis, quos nulla doctrina præditos, moderatos tamen, & graues fuiſſe dixit. HANC animi remiſsionem] ueteres libri, Hanc animaduerſionem: ut animaduerſio pro ſtudiis accipiatur: quam uſitate, & quam latine, alii uiderint. certe id, quod ſequitur: Nam ceteræ neque temporum ſunt, neque locorum: non uidetur poſſe accipi pro, ceteræ animaduerſiones, id eſt, cetera ſtudia, ſed

ſed ualere potius, ceteræ animi remiſsiones. itaque nec antiquos libros condemno, nec pro ſententia iudico: placet, ut in dubia, difficiliq. cauſſa, uetere inſtituto, amplius, pronunciare. LIBERALISSIMAM] dignam in primis homine liberaliter educato. IVDICARETIS.] pro, iudicare deberetis. HAEC ſtudia] quæ remiſsiones animi ſunt, uerum a ceteris diuerſæ: ſunt enim hæc temporum, ætatum, locorum omnium, ceteræ non item. ADOLESCENTIAM alunt,] recte, Alunt, de ætate, quæ creſcit. libri ueteres in mendo conſentiunt: habent enim omnes, agunt: ut interdum neceſſaria coniectura uideatur. NEQVE attingere,] neque noſſe. NEQVE ſenſu noſtro guſtare] in iis, qui ea noſſent. CVM in aliis uideremus.] tacite ad amplectendum Archiam inuitat eos iudices, qui ea ſtudia, quibus ille excelleret, neque attingere, neque ſuo ſenſu guſtare poſſent.

ORATIO.

QVIS noſtrum tam animo agreſti, ac duro fuit, ut Roſcij morte nuper non commoueretur? qui cum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem, ac uenuſtatem uidebatur omnino mori non debuiſſe. ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemq. ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam uidi, iudices, (utar enim ueſtra benignitate; quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc uidi, cum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum uerſuum de ijs ipſis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum eãdem rem dicere, commutatis uerbis, atque ſententijs? quæ uero accurate, cogitateq. ſcripſiſſet, ea ſic uidi probari, ut ad ueterum ſcriptorum laudem peruenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? atqui ſic a ſummis hominibus, eruditiſſimisq. accepimus, ceterarum rerum ſtudia & doctrina, & præceptis, & arte conſtare; poetam natura ipſa ualere, & mentis uiribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu afflari. quare iure ſuo noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas; quod quaſi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe uideantur.

EXPLANATIO.

ROSCII] in arte hiſtrionica principis: unde illud, quod in prouerbium abiit, ore duriſsimo eſſe, qui geſtum ageret ſpectante Roſcio: & ut quiſque arte aliqua præſtaret, Roſcius in illa arte

uocabatur. VENVSTATEM] in motu corporis. ERGO illo corporis motu] argumentum a minori. nam ſi Roſcium propter corporis motum tantopere dileximus: quanto magis Archiam propter animi motum, & ingenii celeritatem diligere debemus? CETERARVM rerum ſtudia] minime cum poetica laude conferenda. ſiquidem hæc ab hominibus adiuuantur: poeta uero, quantum ualet, totum id a natura, & a diis accipere uidetur. QVASI diuino quodam ſpiritu afflari.] ſcripſit idem lib. 2. de Orat. Bonus poeta nemo ſine inflammatione animorum exiſtere poteſt, & ſine quodam afflatu quaſi furoris. Et lib. 1. de Diuin. Magnum poetam quemquam ſine furore eſſe poſſe, negat Democritus. Idem Plato tradidit in Ione, & Phædro. SANCTOS] propterea dixit Horatius in ep. ad Piſones: Silueſtres homines ſacer, interpresq. deorum „ Cædibus, & uictu fœdo deterruit Orpheus, „ Dictus ob hoc lenire tigres. Et Tacitus in dialogo de oratoribus, creditum eſſe ait, poetas deorum reſponſa proferre, & eorum epulis intereſſe. DONO, atque munere] differre uidentur donum, & munus: cum dicat etiam pro Cluentio, Tantum donis datis, muneribusq. profecerat. Et lib. 2. de Orat. M. Cincium ait legem tuliſſe de donis, & muneribus. Niſi ſi, quod Martianus in l. munus proprie. ff. de uerborum, & rerum ſignificatione ſcriptum reliquit: Munus proprie eſt, quod neceſſario ſubimus, lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet poteſtatem: dona autem ſunt, quæ nulla neceſsitate, iure, officio, ſed ſponte præſtantur: quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt; &, ſi præſtentur, plerumque laus ineſt. Idemq. ſubiungit: In hoc uentum eſt, ut non, quodcumque munus, id & donum accipiatur; at, quod donum fuerit, id munus recte dicatur.

ORATIO.

SIT igitur, iudices, ſanctum apud nos, humaniſſimos homines, hoc poeta nomen, quod nulla umquam barbaria uiolauit. Saxa, & ſolitudines uoci reſpondent; beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt: nos, inſtituti rebus optimis, non poetarum uoce moueamur? Homerum Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum uindicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi uero ſuum eſſe confitentur; itaque etiam delubrum eius in opido dedicauerunt; permulti alij præterea pugnant inter ſe, atque contendunt. ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos

nos hunc uiuum, qui & uoluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus? præſertim cum omne olim ſtudium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi R. gloriam, laudemq. celebrandam. nam & Cimbricas res adoleſcens attigit, & ipſi illi C. Mario, qui durior ad hæc ſtudia uidebatur, iucundus fuit. neque enim quiſquam eſt tam auerſus a muſis, qui non mandari uerſibus æternum ſuorum laborum præconium patiatur.

EXPLANATIO.

SIT igitur, iudices, ſanctum apud uos, humaniſsimos homines, hoc poetæ nomen,] contraria poſuit, Humaniſsimos homines, Barbaria. quod enim barbaria non uiolat, id ſanctum ducit: & quod barbariæ ſanctum eſt, id eſſe multo magis debet humaniſsimis hominibus. Argumentum pro poeta ſumpſit a barbaria, a rebus inanimis, a beſtiis immanibus. SAXA, & ſolitudines uoci reſpondent;] poeticum quiddam habet hæc oratio: nec uitioſum: cum de poeta ſermo ſit; & dicendi genus ad ſubiectam rem ſi accommodetur, abſurde, aut indecore nihil fiat. CANTV flectuntur;] nota Orphei, & Arionis fabula, terreſtres, maritimasq. beſtias cantu flectentium REBVS optimis] quibus ad humanitatem informamur. POETARVM uoce] ſuos uerſus canentium. ITAQVE etiam] uir doctrina, & ingenio clarus, Ilerdenſis Epiſcopus, Antonius Auguſtinus pro, Itaque, reponit, Ietæq. egregia coniectura, monumentis ueterum confirmata. nam Gellius lib. 3. c. 11. Homerum, inquit, Ariſtoteles tradit ex inſula Io natum. M. Varro in libro de imaginibus primo, Homeri imagini hoc epigramma appoſuit. Capella Homeri candida hoc tumulum indicat, „ Quod hac Ietæ mortuo faciunt ſacra. Deinde ſequuntur duo uerſus. „ Ἑπτὰ πόλις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου „ Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι. Suidas Homerum in Io periiſſe, epigrammaq. inſcriptum in tumulo; auctor eſt. PERMVLTI alii] Argiui, Athenienſes, Rhodii, hic omiſsi, in græco autem epigrammate nominati. rurſus, qui a Cicerone Chii nominantur, eos græcum non habet epigramma. ſequidem Chium eſſe, Homerus ipſe tradidit in illo uerſu in Apollinem: Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ χίῳ ἐνὶ παιπαλόεσσι. IPSI ILLI C. Mario,] qui Cimbros deuicit.

ORATIO.

THEMISTOCLEM illum, ſummum Athenis uirum, dixiſse aiunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius uocem libentiſſime audiret: eius, a quo ſua uirtus optime prædicaretur. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quæ geſſerat, poſſe celebrari. Mithridaticum uero bellum, magnum atque difficile, & in multa uarietate terra mariq. uerſatum, totum ab hoc expreſsum eſt. qui libri non modo L. Lucullum, fortiſſimum, & clariſſimum uirum, uerum etiam populi R. nomen illuſtrant. populus enim R. aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & regijs quondam opibus, & ipſa natura regionis uallatum: populi R. exercitus, eodem duce, non maxima manu, innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi R. laus eſt, urbem amiciſſimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam eſſe, atque ſeruatam. noſtra ſemper feretur, & prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra ſunt trophæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab ijs populi R. fama celebratur.

EXPLANATIO.

ACROAMA,] acroama eſt & qui aliquid recitat auditu iucundum, & id, quod recitatur: hic pro ipſa re accipiendum uidetur: cum ſequatur, Aut cuius uocem: quo ſignificatur is, qui recitat. EIVS, a quo ſua uirtus optime prædicaretur.] idem ſcripſit lib. 8. c. 13. Valerius Max. Theatrum, inquit, petens, cum interrogaretur, cuius uox auditu illi futura eſſet gratiſsima, dixit, eius, a quo artes meæ canentur optime. L. PLOTIVM] nominatum a Suetonio inter claros rhetores, his uerbis. De hoc Cicero in ep. ad M. Ticinium ſic refert. Equidem memoria teneo, pueris nobis primum latine docere cœpiſſe L. Plotium quendam. ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſsimus quisque apud eum exerceretur; dolebam, mihi idem non licere. continebar autem doctiſsimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Hunc eundem (nam diutiſsime uixit) M. Cœlius in oratione, quam pro ſe de ui habuit, ſignificabat dictaſſe Atratino, accuſatori ſuo, actionem: ſubtractoq. nomine, ordearium rhetorem appel-

appellat, deridens ut inflatum, ac leuem, & ſordidum. MAGNVM, atque difficile,] magnitudinem, atque difficultatem eius belli, præter Plutarchum, oſtendit Cicero in duabus orationibus, pro lege Manilia, & pro Murena. TOTVM ab hoc expreſſum eſt.] non plane totum, ſed quod a Lucullo geſtum eſt, ut ſequentibus declaratur: nam res a Luculli ſucceſſore Pompeio geſtas non attigit: opinor, quod ei cum amiciſsimo ſuo Lucullo parum conueniret. Pompeius autem ſcriptorem habuit rerum ſuarum Theophanem Mitylenæum. NON maxima manu:] itaque Rex Armeniorum Tigranes, gener Mithridatis, cum Romanum exercitum, multis partibus inferiorem ſuo, ad ſe uenientem uidiſſet, Si ut legati, inquit, ueniunt, multi, ſi ut milites, pauci. Plutarchus. CYZICENORVM] omittam quod ſcriptum reliquit Plutarchus in Lucullo: dicam id, quod idem Cicero in orat. pro Murena prodidit: L. Luculli uero res tantæ extiterunt, ut neque maius bellum commemorari poſsit, neque maiore conſilio, & uirtute geſtum. nam, cum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia conſtitiſſet; eamq. urbem ſibi Mithridates Aſiæ ianuam fore putauiſſet; qua effracta, & reulſa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo hæc ſunt omnia, ut urbs fideliſsimorum ſociorum defenderetur, ut omnes copiæ regis diuturnitate obſidionis conſumerentur. Et Tacitus lib. 4. Obiecta, inquit, publice Cyzicenis in curia cærimoniarum diui Auguſti, additis uiolentiæ criminibus aduerſum ciues Romanos: & amiſere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumſeſsi, nec minus ſua conſtantia, quam præſidio Luculli, pulſo rege. FERETVR,] multorum ſermone. hæc enim uis eſt in hoc uerbo: ut in Catil. orat. 1. Ad huius uitæ ſtudium meditati ſunt illi, qui feruntur, labores tui. APVD Tenedum] Idem in or. pro Murena: Quid illam pugnam naualem ad Tenedum, cum contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſsis Italiam ſpe, atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parua dimicatione commiſſam arbitraris?

ORATIO.

CARVS fuit Africano ſuperiori noſter Ennius: itaque etiam in ſepulcro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus e marmore. at ijs laudibus certe non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi R. nomen ornatur. In cælum huius proauus Cato tollitur: magnus honos populi R. rebus adiungitur: omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fului non ſine communi

omnium

omnium noſtrum laude decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Rhudium hominem, maiores noſtri in ciuitatem receperunt: nos hunc Heracleenſem, multis ciuitatibus expetitum, in hac autem legibus conſtitutum, de noſtra ciuitate eijciemus? nam ſi quis minorem gloriæ fructum putat ex græcis uerſibus percipi, quam ex latinis, uehementer errat: propterea quod græca leguntur in omnibus fere gentibus, latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur. quare ſi res eæ, quas geſſimus, orbis terræ regionibus definiuntur: cupere debemus, quo manuum noſtrarum tela peruenerint, eodem gloriam, famamq. penetrare: quod cum ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, hæc ampla ſunt; tum ijs certe, qui de uita, gloriæ cauſſa, dimicant, hoc maximum & periculorum incitamentum eſt, & laborum.

EXPLANATIO.

CARVS fuit Africano ſuperiori noſter Ennius:] eandem rem lib. 8. c. 15. ſic explicat Valerius Max. Superior Africanus Ennii poetæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari uoluit; quod ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret; non quidem ignarus, quam diu Romanũ imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus eſſet ſubiecta, totiusq. terrarum orbis ſummũ culmen arx Capitolina poſsideret, eorum extingui memoriam non poſſe; ſi tamen illis literarum quoque lumen acceſsiſſet, magni æſtimans: uir Homerico, quam rudi, atque impolito præconio dignior. IN ſepulcro Scipionum] in quo tamen Africanus ille, cui carus Ennius fuit, ſepultus ipſe non eſt. periit enim in Campaniæ uico Linterno, ibique ſepultus eſt, addita in monumento inſcriptione, Ingrata patria ne oſſa mea quidem habebis. CONSTITVTVS e marmore.] tale illud in ea pro Domo: Eius non longe a Tanagris ſimulacrum e marmore poſitum fuit. Et lib. 4. in Verrem: Qui acceſsiſtis Ennam, uidiſtis ſimulacrum Cereris e marmore. Hunc locum acuti uir ingenii, me puero, emendauit Honoratus Faſcitelius, qui poſtea Epiſcopus Inſulanus fuit. legebatur enim in omnibus libris, manifeſto turpiq. errore: Conſtitutus. et marmoratis laudibus. HVIVS] ob ſingularem uirtutem, ac probitatem M. Cato, Vticenſis poſtea dictus, ſignificatur; cum tamen Catones in ciuitate multi eſſent. PROAVVS] ille Cenſorius, quem ſupra cum Africano minore, C. Lælio, L. Furio coniunxit. eius filius fuit M. Cato Salonianus, Saloniani Marcus, qui præturam petens deceſsit: ex quo natus eſt Marcus, qui ſe bello ciuili Vticæ interemit. qua de re diligẽter diſſeruit Gellius lib. 13. c. 18.

MA-

MAXIMI, Marcelli, Fuluii] militari laude clari, qui ſecundo Punico bello contra Hannibalem egregie pro republica pugnarunt. ſunt autem hi, Q. Fabius Maximus Cunctator; M. Claudius Marcellus, qui ducum Romanorum primus Hannibalem docuit poſſe uinci; Q. Fuluius Flaccus, qui Capuam recepit. ILLVM,] Ennium. QVI hæc fecerat;] qui res geſtas Catonis, Maximi, Marcelli, Fuluii uerſibus perſecutus erat. RHVDIVM hominem,] Rhudiæ opidum Apuliæ, fœderata ciuitas quo tempore Ennius in ciuitatem eſt receptus: quæ poſtea colonia fuit, a Q. Fuluio Nobiliore deducta, cuius beneficio ciuis R. factus eſt Ennius: ut in Bruto legimus. HERACLIENSEM,] nobiliorem, quam Ennium. non enim Rhudiæ cum Heraclea conferendæ. MVLTIS ciuitatibus expetitum,] donauerant enim eum ciuitate Rhegini, Locrenſes, Neapolitani, Tarentini. LEGIBVS] lege, quam tulerant Siluanus, & Carbo tribuni pl. EX græcis uerſibus] græca igitur, non latina, erant Archiæ poemata: itaque ſupra non dixit Cicero, a C. Mario audiebatur, ſed, C. Mario iucundus fuit. græcas enim litteras Marius ignorauit: & ipſe apud Salluſtium, Neque litteras græcas, inquit, didici. parum placebat eas diſcere, quippe quæ ad uirtutem doctoribus nihil profuerunt. LATINA ſuis finibus,] non imperii R. quod latiſsime patebat, &, ut ſubiungitur, orbis terræ regionibus definiebatur, ſed Latii tantum: itaque ſequitur, Exiguis ſane. erat enim ultra Latii fines græca lingua, erat gallica, erat etruſca. ORBIS terræ regionibus] ab occidente Hiſpania ulteriore, ab oriẽte Euphrate fluuio, qui Parthorum ditionem a Romano diſtinguebat imperio. Galliam autem Romani nondum tenebant, neque Germaniam, nec alias regiones. ſed eſt oratoria amplificatio, ut etiam orat. 3. in Catil. Vno tempore in hac rep. duos ciues extitiſſe, quorum alter fines ueſtri imperii, non terræ, ſed cæli regione terminaret, alter eiuſdem imperii domicilium, ſedesq. ſeruaret. Et in eundem orat. 4. Anteponatur omnibus Pompeius, cuius res geſtæ, atque uirtutes iiſdem, quibus ſolis curſus, regionibus, ac terminis continentur. Et quod de Pompeio, dicit idem de Cæſare poſt aliquot annos in ea pro Balbo: Cæſar, inquit, abeſt longiſsime, atque in iis eſt nunc locis, quæ regione orbem terrarum, rebus illius geſtis imperium populi R. definiunt. GLORIAM, famamq. penetrare:] græcis uerſibus prolatam. CVM ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, hæc ampla ſunt;] eandem rem quam uarie, quam eleganter Cicero expreſſerit, cur non oſtendamus? præſertim cum ad ſtudioſorum utilitatem

hoc, quidquid eſt, a nobis elaboretur. nam cum ex Archiæ ingenio non modo priuatam eorum, quorum facta uerſibus expreſſerat, ſed publicam quoque manare laudem, uellet oſtendere, hæc dixit: Qui libri non modo L. Lucullum, fortiſsimum, & clariſsimum uirum, uerum etiam populi R. nomen illuſtrant. Eiuſdem generis illud eſt: Populi R. laus eſt, urbem amiciſsimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam eſſe, atque ſeruatam. Et illud, quod proxime ſequitur: Noſtra ſemper feretur, & prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſsis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra ſunt trophæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab iis populi R. fama celebratur. Iam de Ennio: Iis laudibus certe non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi R. nomen ornatur. De eodem: In cælum huius proauus Cato tollitur: magnus honos populi R. rebus adiungitur. Nec diſsimile illud: Maximi, Marcelli, Fuluii non ſine communi omnium noſtrum laude decorantur.

ORATIO.

QVAM multos ſcriptores rerum ſuarum magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? atque is tamen, cum in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ uirtutis Homerum præconem inueneris. Et uere. nam niſi Ilias extitiſſet illa, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruißet. Quid noſter hic Magnus, qui cum uirtute fortunam adæquauit? non ne Theophanem Mitylenæum, ſcriptorem rerum ſuarum, in concione militum ciuitate donauit? & noſtri illi fortes uiri, ſed ruſtici, ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quaſi participes eiuſdem laudis, magno illud clamore approbauerunt. Itaque, credo, ſi ciuis R. Archias legibus non eßet, ut ab aliquo imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit. Sulla, cum Hiſpanos, & Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiaßet. quem nos in concione uidimus, cum ei libellum malus poeta de populo ſubieciſſet, quod epigramma in eum feciſſet, tantummodo alternis uerſibus longiuſculis, ſtatim ex iis rebus, quas tunc uendebat, iubere ei præmium tribui, ſub ea condicione, ne quid poſtea ſcriberet. qui ſedulitatem mali poetæ duxerit aliquo tamen præmio dignam, huius ingenium, & uirtutem in ſcribendo, & copiam non expetiſſet?

EXPLA-

EXPLANATIO.

SECVM habuiſſe] ſecum habuit Calliſthenem, de quo Trogus lib. 12. Ariſtobulum, de quo Arrianus: Clitarchum, de quo Plinius lib. 6. cap. 31. ut alios omittam, qui res ab illo geſtas litterarum monumentis tradiderunt: quos Plutarchus quidem nominat, non tamen comites eius fuiſſe oſtendit. HOMERVM præconem] ſi, quæ ſcripſit in Probi uita Flauius Vopiſcus, attendantur, Homerum Alexander non nominauit. Alexander, ait, Magnus Macedo, cum ad Achillis ſepulcrum ueniſſet, grauiter ingemiſcens, Felicem te, inquit, iuuenis, qui talem præconem tuarum uirtutum reperiſti: Homerum intelligi uolens, qui Achillem tantum in uirtutum ſtudio finxit, quantum ipſe ualebat ingenio. Inuidit igitur Alexander propter Homerum Achilli, non propter eius uirtutem. quo ſignificabat, ſcriptores rerum ſuarum cum Homero minime cōferendos. habebat autem ſecum, ut dixi, Calliſthenem, Ariſtobulum, Clitarchum, præterea Ptolemæū, qui poſtea Aegyptiis imperauit. QVI cum uirtute fortunam adæquauit?] de eodem in oratione pro Balbo. An ingenium? cum etiam ipſe caſus, euentusq. rerum non duces, ſed comites eius conſiliorum fuerint: in quo uno ita ſumma fortuna cum ſumma uirtute certauit, ut omnium iudicio plus, quam poſsit, minus, quam decet, tribueretur. THEOPHANEM Mitylenæum,] cuius gratia patriam eius Mitylenem, cum ad eam oppugnandam ueniſſet, liberauit. is eſt, qui Cornelium Balbum adoptauit: ut in oratione pro Balbo. IN eum] In, & laudandi uim habet, & uituperandi: hic ad laudem ſpectat. RVSTICI,] rure habitabant, agrosq. colebant milites. de quibus Cato in libro de Senectute: Quod igitur adoleſcentes, & hi quidem non ſolum indocti, ſed etiam ruſtici, contemnunt, id docti ſenes extimeſcent? Et in ep. ad D. Brutum: Denique homines ruſticos, ſed fortiſsimos uiros, ciuesq. optimos, dementes fuiſſe iudices, primum milites ueteranos, deinde legionem Martiam. TANTVMMODO] nihil habebat præterea, quod iucunde legi poſſet, omni lepore, omni carens poetica uenuſtate. ALTERNIS] ut prior ſex, poſterior quinque pedibus conſtaret.

ORATIO.

QVID? a Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo, qui ciuitate multos donauit, neque per ſe, neque per Lucullos impetrauiſſet? qui præſertim uſqueeo de ſuis rebus ſcribi cuperet, ut etiam Cordubæ natis poetis, pingue quiddam ſonantibus, atque peregrinum, tamen aures ſuas dederet. Neque enim eſt hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio; & optimus quisque maxime gloria ducitur. ipſi illi philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo prædicationem, nobilitatemq. deſpiciunt, prædicari de ſe, ac nominari uolunt. Decimus quidem Brutus, ſummus ille uir, & imperator, Attij, amiciſſimi ſui, carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornauit ſuorum. Iam uero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellauit, Fuluius non dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare.

EXPLANATIO.

PER Lucullos] Metelli Pii cognatos, Lucium, & Marcum: ait enim Plutarchus, L. Luculli matrem Q. Metello Numidico, Pii patri, ſororem fuiſſe. quod etiam lib. 4. in Verrem Cicero confirmat. PEREGRINVM,] Latino quidem ſermone, ſed ut in eo peregrinitas quædam agnoſceretur. AVRES ſuas dederet.] cum Hiſpaniæ præeſſet. DECIMVS quidem Brutus,] is, qui de Luſitanis, & Gallæcis triumphauit. de quo Valerius Max. lib. 8. c. 15. Honoratus animus erga poetam Attium Decimi Bruti, ſuis temporibus clari ducis, extitit: cuius familiari cultu, & prompta laudatione delectatus, eius uerſibus templorum aditus, quæ ex manubiis conſecrauerat, adornauit. FVLVIVS] M. Fuluius Nobilior: de quo ſic in Tuſc. 1. Honorem huic generi non fuiſſe, declarat oratio M. Catonis: in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in prouinciam poetas duxiſſet. duxerat autem conſul ille in Aetoliam, ut ſcimus, Ennium.

ORATIO.

QVARE in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen, & Muſarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Muſarum honore, & a poetarum ſalute abhorrere. atque ut id libentius faciatis, iam me uobis, iudices, indicabo, & de meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortaſſe, ueruntamen honeſto, uobis confitebor. Nam quas res nos in conſulatu noſtro uobiſcum ſimul pro ſalute huius urbis, atque imperij, & pro uita ciuium, proq. uniuerſa rep. geſſimus, attigit hic uerſibus, atque inchoauit. quibus auditis, quod mihi magna res, & iucunda uiſa eſt, hunc ad perficiendum hortatus ſum. nullam enim uirtus aliam mercedem laborum, periculorumq. deſiderat, præter hanc laudis, & gloriæ: qua quidem detracta, iudices, quid eſt, quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? certe, ſi nihil animus præſentiret in poſterum; & ſi, quibus regionibus uitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas; nec tantis ſe laboribus frangeret; neque tot curis, uigilijsq. angeretur; nec toties de uita ipſa dimicaret. nunc inſidet quædam in optimo quoque uirtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, non cum uitæ tempore eſſe dimetiendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam. An uero tam parui animi uideamur eſſe omnes, qui in rep. atque in his uitæ periculis, laboribusq. uerſamur, ut, cum uſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? an, cum ſtatuas, & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerint; conſiliorum relinquere, ac uirtutum noſtrarum effigiem non multo malle debemus, ſummis ingenijs expreſſam, & politam? Ego uero omnia, quæ gerebam, iam tum in gerendo ſpargere me ac diſſeminare arbitrabar in orbis terræ memoriam ſempiternam. hæc uero ſiue a meo ſenſu poſt mortem abfutura ſunt, ſiue, ut ſapientiſſimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt; nunc quidem certe cogitatione quadam, ſpeq. delector.

EXPLANATIO.

POETARVM nomen,] ut Brutus, qui Attii carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit ſuorum. MVSARVM delubra] ut Fuluius, qui, deuictis Aetolis, Martis ma-

nubias Muſis conſecrauit. A POETARVM ſalute] quod ciuitatis honorem Archias tanti faceret, ut in eo ſalutem ſitam eſſe ſuam exiſtimaret. VT ID libentius faciatis,] cum intelligetis, quantopere id ego cupiam, Archiæ deuinctus propter conſulatum meum eius ingenio celebratum. VOBISCVM ſimul] aucupatur iudicum gratiam, & eos Archiæ conciliat, gloria cum iis communicata, quam Archiæ uerſibus conſequetur. SI NIHIL animus præſentiret in poſterum;] copioſe in primis, & ornate diſputat in hanc ſententiam in Catone. Nemo, inquit, umquam mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos auos Paullum, & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præſtantes uiros, quos enumerare non eſt neceſſe, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent, niſi animo cernerent, poſteritatem ad ſe pertinere. NVNC] nunc, pro, ſed: ut alibi, & apud Græcos νῦν. IN OPTIMO quoque] immortalis gloriæ cupiditatem optimorum uirorum eſſe propriam, in Catone quoque oſtendit his uerbis: Quod quidem ni ita ſe haberet, ut animi immortales eſſent; haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur. GLORIAE ſtimulis] pro, gloriæ cupiditate: ſed quia translatis uerbis propria uincuntur, Stimulis, maluit; quam, cupiditate. CONCITAT,] ne langueat, ne umquam conſiſtat, ſed uſqueeo moueatur, donec eam gloriam, cui nulla dies finem afferat, aſſequatur. NON cum uitæ tempore dimetiendam commemorationem nominis noſtri,] ita uiuendum, ne, quibus uita finibus, iiſdem noſtri nominis fama terminetur. TAM parui animi] qui tam exiguo uitæ curriculo, tamq. breui contentus eſſe uelit. CVM uſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus,] ſic Cato apud Ciceronem de ſe ipſo loquitur. An cenſes, me tantos labores diuturnos nocturnosq. domi, militiæ ſuſcepturum fuiſſe, ſi iiſdem finibus gloriam meam, quibus uitam, eſſem terminaturus? non ne melius multo fuiſſet otioſam ætatem, & quietam, ſine ullo aut labore, aut contentione traducere? IMAGINES,] latius patet imago, quam ſtatua: nam & picturam complectitur, & omnino quidquid rei ueræ ſimilitudinẽ repræſentat. eademq. ſimulacri ſignificatio eſt. propterea dixit in ep. ad Lucceium, cum & de picta ab Apelle, & de ficta a Lyſippo Alexandri Magni effigie loqueretur: Illi artifices, corporis ſimulacra ignotis nota faciebant: quæ uel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari uiri. nec minus enim eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imagi

nem ſuam paſſus eſt eſſe, quam qui in eo genere laborarũt. unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, ſtatuasq. ſuperauit. Et pro Cœlio: Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, & imaginibus uidemus. Quod autem de imagine, & ſimulacro, idem de effigie dictum intelligatur. his enim uocabulis eadem ſubiecta omnibus notio eſt. CONSILIORVM, ac uirtutum noſtrarum] mentis conſilia ſunt, uirtutes in rebus exiſtunt. EXPRESSAM, & politam?] Expreſſam, ut nihil deſit: Politam, in qua nihil oculos offendat. EGO uero] ne uitium in eo, quod laudat, eſſe uideatur, exemplum ſumit a ſe ipſo, & flagrare ſe profitetur laudis amore ſempiternæ. QVAE gerebam,] in conſulatu. SPARGERE me, ac diſſeminare] mirus eſt in oratione ſuperlatis uerbis exornanda. proxime dixit, Expreſſam, & politam: infra, Cogitatione quadam, ſpeque: hic ſpargere, ac diſſeminare. ſpargitur enim ſemen, terraq. excipitur, ut eius complexu, & calore fructum ferat. VT ſapientiſsimi homines putauerunt,] Pythagoras, Socrates, Academia tota.

ORATIO.

QVARE conſeruate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum ſtudijs uidetis comprobari, tum dignitate, tum etiam uenuſtate; ingenio autem tanto, quantum id conuenit exiſtimari, quod ſummorum hominum ingenijs expetitum eſſe uideatis; cauſſa uero eiuſmodi, quæ beneficio legis, auctoritate municipij, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ cum ita ſint; petimus a uobis, iudices, ſi qua non modo humana, uerum etiam diuina in tantis negotijs commendatio debet eſſe, ut eum, qui uos, qui ueſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit, qui etiam his recentibus noſtris, ueſtriſq. domeſticis periculis æternum ſe teſtimonium laudum daturum eſſe profitetur, quiq. eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti, ſic in ueſtram accipiatis fidem, ut humanitate ueſtra leuatus potius, quam acerbitate uiolatus eſſe uideatur.

Quæ de cauſſa pro mea conſuetudine breuiter, ſimpliciterq dixi, iudices, ea confido probata eſſe omnibus: quæ non fori, neque iudiciali conſuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, iudices, a uobis ſpero eſſe in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe ſcio.

EXPLA-

EXPLANATIO.

QVARE conſeruate, iudices, hominem pudore eo,] duæ ſunt, perorata iam cauſſa, una pro reo, altera pro ſe ipſo, digreſsiones: pro reo, Conſeruate, iudices, hominem pudore eo: & quæ ſequuntur: pro ſe ipſo, Quæ non fori, nec iudiciali conſuetudine,& de hominis ingenio,& communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, iudices, a uobis ſpero eſſe in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe ſcio. Quod ad priorem attinet, interdum uenit in mentem ſuſpicari de ordine præpoſtero. primum enim petitur a iudicibus, ut Archiam conſeruent, deinde, ut in fidem accipiant: cum in fidem prius accipi,quam conſeruari, debeat. Accedit ea ratio,quod, cum extra cauſſam Cicero euagatus artis poeticæ ſtudium ſummis laudibus extulerit; non uidentur poſt ea, quæ proxime commemorauit; hæc ſatis appoſite ſubiici, de pudore Archiæ, de ingenio, de cauſſa; ſed illa potius, quæ commendationem habent a cauſſa diſiunctam, ductam ab Archiæ meritis, & genere ſtudiorum: a meritis in eo, Qui uos, qui ueſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit: a genere ſtudiorum, cum ſubiungitur, Quiq. eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti. Quæ ſi lector attendat; non dubito, quin hæc ei concluſio potius arrideat: Quare conſeruate, iudices, hominem: quam illa: Quæ cum ita ſint; petimus a uobis, iudices. TVM dignitate, tum etiam uenuſtate;] quem hic locum habet dignitas, aut uenuſtas? ſatis ualere debet ad conciliandam Archiæ iudicum uoluntatem pudor ipſius, & ingenium, plurimum uero ipſa cauſſa: quibus ſingulis aliquid addit, quo pateant illuſtrius: at hæc, Tum dignitate, tum etiam uenuſtate, neſcio quo modo intruſa, prorſus nuda ſunt. Vt omittam, quod hic loquendi modus,Conſeruate hominem tum dignitate, tum etiam uenuſtate, mihi quidem parum ſatisfacit. Adde,quod uenuſtas iucunda quædam uel in uultu, uel in corporis motu ſpecies eſt: quæ ad commendationem Archiæ, præſertim ætate prouecti, nihil pertinet, itaque prorſus uidetur abundare. gloſſema dicerem, ſi, quo adiungi poſſet, uiderem. nam gloſſemata quæ uocant, interpretandi cauſſa ponuntur. ſed ita hic aperta ſunt omnia, de pudore Archiæ, de ingenio, de cauſſa, ut nullum interpretationis lumen deſiderent. Hoc tamen, quidquid eſt, & omnino quæcumque ſentimus, & ſcribimus, ita probamus, dum ne hominibus eruditis, & in hoc ſtudiorum genere exercitatis improbanda uideantur, BENEFICIO legis,] a Siluano,& Carbone latæ. MVNICIPII,] Heracleæ,

racleæ, quam ſupra quoque municipium uocauit. TESTIMONIO Luculli,] ſupra: Adeſt L. Lucullus; qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. TABVLIS] in quas referebantur eorum nomina, qui, ciuitatis adipiſcendæ gratia, apud prætorem ex lege profitebantur. METELLI] Q. Metelli prætoris, apud quem profeſſus eſt Archias. SI QVA non modo humana, uerum etiam diuina in tantis negotiis commendatio debet eſſe,] particula, Si, quæ dubitandi uim habet, hic affirmat: eſt enim ſenſus: Quandoquidem Archias, is, qui uos, qui ueſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit, ob tanta negotia dignus eſt, quem uobis non homines modo, uerum etiam dii commendent; petimus a uobis, ut eum ſic in ueſtram accipiatis fidem, ut humanitate ueſtra leuatus potius, quam acerbitate uiolatus eſſe uideatur. Tale illud pro Rabirio perduellionis reo. Si eſt boni conſulis, cum cuncta auxilia reip. labefactari, conuelliq. uideat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſq. communibus, implorare ciuium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum, & fortium ciuium. &c. In Catilinam orat. I. Si poſt hominum memoriam contigit nemini, uocis exſpectas contumeliam, cum ſis grauiſsimo iudicio taciturnitatis oppreſſus? HVMANA: cum ingenium Archiæ ornamentum hominibus afferat, tradendis immortalitati rebus eorum memoria dignis: quod ſubiungitur: Qui uos, qui ueſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit. DIVINA] hoc ſupra explanauit his uerbis: Suo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas; quod quaſi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe uideantur. Et hic ſubiungit: Qui eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti. IN TANTIS negotiis] meritis ipſius Archiæ: non quia proprie negotia ſint merita: ſed ea, quæ Archias uerſibus perſecutus erat, tum negotia fuerant maxima, quia non facile quiuis eadem præſtare potuiſſet; tum etiam merita, quod ad populi R. gloriam pertinerent. Negotiis igitur dixit potius, quam rebus; quia maius quiddam in negotio, quam in re. DOMESTICIS periculis] ob coniurationem Catilinæ. VIOLATVS] is, qui ſanctus eſt. ſimiliter ſupra: Sit igitur, iudices, ſanctum apud uos, humaniſsimos homines, hoc poetæ nomen, quod nulla umquam barbaria uiolauit. BREVITER, ſimpliciterq.] ne uobis aut oratione ſuperuacanea, aut artificio moleſtus eſſem. NON fori, neque iudiciali conſuetudine.] de quo ueniam in exordio petiit his uerbis. Ne cui ueſtrum mirum eſſe uideatur, me in quæſtione legitima,

gitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud prætorem populi R. lectiſsimum uirum; & apud ſeueriſsimos iudices, tanto conuentu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a conſuetudine iudiciorum, uerum etiam a forenſi ſermone abhorreat: quæſo a uobis, ut in hac cauſſa mihi detis hanc ueniam. &c. COMMVNITER] de ipſo poeticæ ſtudio. AB EO, qui iudicium exercet,] a prætore. CERTE ſcio.] propterea quod ſtudiis potiſsimum delectetur humanitatis, iis, quibus excellit Archias.

LAB. REST.
scheda 312
Digitized by Google

Digitized by Google